

A TEI Project

De ordine docendi ac studendi

*BAPTISTAE GUARINI LIBELLUS AD NOBILEM ADULESCENTEM
MAFFEUM GAMBARAM DE ORDINE DOCENDI AC STUDENDI*

1. Etsi, Maffee carissime, ea sit morum et ingenii tui elegantia ut sponte tua non in divitiis aut maiorum imaginibus, quae tibi larga manu fortuna praebuit, sed in virtute veram nobilitatem repositam esse antea iudicares, tamen ex Iuvenalis nostri satyra, quae eam materiam dilucide absolvit, sic nuper eam opinionem animo tuo inhaesisse cognovi, ut ad capessenda haec humanitatis studia multo ferventior et alacrior evaseris. Ea propter boni praeceptoris officium esse duxi aliquam tibi viam et quendam quasi studiorum cursum declarare, per quem facillime istam aviditatem expleres et, quasi adiectis sponte currenti calcaribus, te ipsum duplicata cupiditate incitares. Tuo igitur nomini libellum hunc destinavi, ex quo tam graece quam latine et praeceptoris in erudiendis adolescentibus et ipsorum discipulorum in studendo tum officium tum ordinem percipies: quod si qua erunt quae ad te minime pertinere intelligas, putabis me non tam tibi quam ceteris sub tuo nomine adolescentibus hoc perfectum et discendi et docendi commentariolum voluisse largiri; te ea tantum excerpas quibus te indigere senties. Neque dubitaverim affirmare eos qui sub eiusmodi institutione docti fuerint in eruditissimorum hominum numero aliquando habendos esse: ea etenim collegi quae non meo tantum iudicio, quod non magnum utpote adolescentis esse potest, sed doctissimorum etiam virorum, et in primis optimi parentis mei, quem longo iam tempore in hoc docendi munere exercitatum fuisse non te fugit, ad praeciipiendi studendique rationem maxime conducere videbantur. Itaque ea legens non me, sed ipsum parentem loqui existimabis, nihilque scriptum esse tibi persuadebis[Page 28]

quod non longo usu probatum sit. Ceterum ne hoc verbis falso extollere videar, tu rem iam videbis et, ut spero, praecepta ipsa assidua exercitatione vera esse cognosces.

2. Antequam tamen ad docendi studendique praecepta veniamus, haudquaquam a proposito nostro alienum esse videbitur, si adolescentes ipsos admonuerimus, primum ut quam eis praeceptor extrinsecus tradere non potest discendi cupiditatem, ipsi per se sponte illam arripiant et ad hydropis similitudinem se conforment, cui, ut inquit Ovidius, «quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae». Sic et ipsi quo plura in dies didicerint, eo plura percipere et haurire tamquam diuturnam sitim extinguere cupientes incitentur, teneantque illud assidue ante mentis oculos quod Isocrates graecus praecipit: «Si eris discendi studiosus, multa disces». Facile autem ad eam aviditatem se ipsos exhortabuntur si, ut idem inquit Isocrates, «turpe esse» cogitaverint «mercatores tot tantaque maria navigare ut divitias amplificent, iuniores vero terrestri itinere ad praeceptores tendere ut meliorem mentis habitum constituent» si animo etiam versaverint nullam esse possessionem doctrina honestiorem aut stabiliorem: nam pulchritudinem et robur, etiam si nullo morbo diminuantur, certe senectus ipsa conficit; pecuniae vero saepius inertiae causam quam adipiscendae virtutis materiam praestant. Nam sicut in extrema inopia positus haud facile est emergere, ita omnium rerum copia affluentes ad voluptatem facillime alliciuntur. Ubi autem voluptatis regnum adsit, ibi difficile est virtutem consistere. Quod si aetatis inbecillitate non eam prudentiam habebunt ut id animadvertere queant, parentum erit officium ad id blandis vocibus teneras illorum aures consuefacere et minis a voluptatibus detertere, ut quod ab infantia imbiberint desiderium cum aetate simul accrescat; et cum adulti voluptatum sermones audierint, quasi adhuc paternae vocis praecepta auribus intonent,[Page 30]

eos ut venena horreant et detestentur. Deinde in praeceptore colendo paternam sibi constituent sanctitatem; nam si eum contempserint, eius quoque praeceptionem contemnunt necesse est. Neque enim existimandum est maiores illos temere praeceptorem sancti voluisse parentis esse loco; sed ut ille maiore cum diligentia benivolentiaque eos instrueret, ipsi autem venerabundi eius dicta velut e paterna quadam affectione manantia observanda esse crederent; quo circa ea in re Alexandri Magni exemplum imitabuntur qui non minus se

Aristoteli praeceptorum quam Philippo patri debere praedicabat, propterea quod ab hoc esse tantum, ab illo et bene esse accepisset. Qui vero animus ita institutus fuerit, optimam de se spem pollicebitur, ut omnium non modo expectationem, sed etiam vota sit superaturus: nam, ut ait Crispus, «ubi intenderis ingenium valet». In primis autem id cavendum erit ne rudibus et indoctis ab initio praeceptoribus tradantur erudiendi, a quibus illud Ciceronis consequantur ut «dimidio stultiore» redeant quam accesserint. Ut enim tempus taceam quod amittunt, efficitur profecto illud Timothei musici ut postea duplex suscipiendus sit labor: alter quo ea quae didicerunt oblivioni tradant, quod sane difficillimum est iuxta Flacci sententiam, «quo semel est imbuta recens servabit odorem / testa diu»; alter, ut ad meliores praeceptiones evehantur; quod etiam eo tardius fit, quo in prioribus illis obliterandis necesse est operam tempusque consumere. Omnino danda erit opera, ne pueri propter litterarum disciplinam graviter et acriter verberentur; habet enim ea res servile quiddam et generosus saepenumero animus ita indignatur, ut plagarum causa iam tum litteras oderit cum necdum gustare coeperit. Adde quod metu verberum declamationes eis propositas non ingenio proprio componunt, sed ab aliis occulte compositas afferunt; quod capitale et perniciosissimum[Page 32]

est, nam utrumque vehementer fallit: et praeceptorem, qui spem falsam praesumi et discipulum, qui id non intelligit quod a se factum mentitur. Honestius igitur et utilius erit vel blanditiis agere, vel interdum solo verberum terrore, ita ut plagae statim subsecuturae videantur; nam si securus fuerit, maximam negligentiae fenestram licentia illa praebebit: si vero paulo adulti fuerint, ut honoris cupiditate excitari possint, tunc admonendi erunt quanto dedecori id futurum sit, si operam luserint, si reliquis ignaviores tardioresque apparuerint. Et ut magis eos nescire quam discere pudeat, placet etiam ut pueris ipsis aliquis ad disciplinam socius adiungatur, cuius aemulatione quibusdam quasi igniculis accendantur; est enim nobilibus animis quaedam insita generosa invidia, ut in eodem studii genere versantibus postponi et quasi hebetiores relinquere erubescant: ex quo sequitur ut certatim aemulantes alter alterum reddant alacriorem. Non tamen id probamus, ut sub eodem praeceptore magnus puerorum numerus prima simul elementa doceatur. Dum enim omnibus satisfacere cupit omnibusque se impartit, nemini aut integram aut magnam impendit curam; quo fit ut, sicut nemo neglectus, ita et nemo bene doctus inde revertatur. Hoc autem de iis praecipimus qui prima litterarum fundamenta perdiscunt; nam in paulo progressis, qui iam poetas et historicos et oratores audire possunt, id minime est necesse; nam quo maior erit turba, eo diligentius praeceptor ipse legere conabitur quia Ovidio teste «excitat auditor studium».

3. In illis autem erudiendis ordinem hunc servari oportebit, ut litteras et verba aperte quidem et expedite, non tamen expresse nimis pronuntiare consuescant; nam sicut obscura est intra dentes murmuratio et verborum conculcatio, ita iniucunda et fastidiosa vehemens tum litterarum expressio, tum in verbis quasi syllabarum dilatatio. Deinde grammaticam omni[Page 34]

ex parte perfecte docendi sunt; ut enim in aedificiis nisi valida iacta sint fundamenta quicquid supra construas corruat necesse est, ita et in studiorum ratione, nisi principia optime calleant, quo magis progrediuntur eo magis inbecillitatem suam sentiunt. Quocirca nomina et verba declinare in primis pueri sciant, sine quibus nullo modo pervenire ad intellectum sequentium possunt; nec semel tantum docuisse contentus sit praeceptor, sed saepe repetens iterumque iterumque memoriam in his puerorum exercent et, tamquam diligens imperator, quid didicerint et quantum recognoscat; interdum vitiose ipse declinet ut illorum certitudinem tentet: magnum enim proficiendi testimonium erit, cum aliorum errores intelligere videbuntur.

4. Grammaticae autem duae partes sunt, quarum alteram methodicen, quae breves omnium orationis partium formulas, id est meqovdou~ declarat; alteram historicen, quae historias et res gestas pertractat, appellant. Eas formulas multis ex libris qui exstant capessere licebit, sed magna ex parte compendium illud optimi parentis mei ad id iuvabit, ubi, sicut nihil est

superfluum, ita omnia facile reperientur quae ad orationem recte struendam conducere videantur. Sed illud a magistro observari volumus: ut quas proponit pueris earum regularum declinationes, eas tum scribant, tum absque scriptura componant. Si enim scripserint tantum, evenit plerumque ut rogati nihil ex tempore sciant respondere, utpote soliti in omnibus partibus multum diuque meditari; contra vero, si memoriter tantum respondere didicerint, saepenumero quibus inter se litteris syllabae connectuntur ignorant; quod si ad utrumque, ut diximus, assuefacti simul fuerint, expeditam consequentur et in loquendo et in scribendo promptitudinem, quam illud quoque vehementer augebit, si latine loqui continue assuefiant.[Page 36]

5. Generales autem quasdam edoceantur velim formulas, ut citius et firmius pariter ad id quod ex his regulis cupimus perveniant: cuius generis est, ut eorum verborum, quae activa nominantur, a neutris differentiam in eo pernoscant, quod neutrorum passiva neque in prima neque in secunda persona loquente homine fieri possunt. Neque enim recte dixerit quispiam *Ego aror, tu araris*. Similiter ut activorum notent ordinem, quorum cum sex species esse dicantur, prima suppositum et appositum tantum habet, reliquae ultra appositum in accusandi casu alios excepto primo eo quo stant ordine casus tolerant. Passivorum brevissima est doctrina, in quibus omnibus nihil aliud fieri opus est, nisi ut appositum et suppositum mutatis casibus convertantur. Quid de neutris? quam compendiosa praeceptio: nam eodem ferme quo activa ordine se habent et constructione nisi quod accusandi casum non habent quem in apposito activis tribuimus; nam quae transitiva neutra dicuntur licet accusativum habeant, non tamen ut activa duo eiusdem conditionis verba postulant. Deponentia neutrorum formulam sequuntur. Pauca proposuimus exempla, quo facilius mens nostra intelligeretur.

6. Erit autem illud perquam utile ut in his regularum declamationibus consuescant ornate componere, ut exempli causa oratio plerumque verbo claudatur, et quicquid ab illo pendet anteponatur quam id a quo dependet; facilius enim postea ad stili elegantiam perducuntur. Illud iam superfluum est admonere, cum doctum praeceptorem supposuerimus, ut castigatos habeant libros: nam in eo, de quo supra mentionem feci, patris compendio multi multa addere voluerunt, qui dum periti stultis reperiri quaerunt, stulti peritis sunt inventi. Quod ne magis detrahendi quam veritatis studio adducti dicere videamur, duo in eo genere exempla proponemus. Vides enim in ea comparativorum regula, quae docet nominibus adiectivis secundae declinationis a genitivo addita *-or* fieri comparativum, exceptis quae habent vocalem[Page 38]

ante vocalem, vulgo id esse depravatum et scriptum: quae habent vocalem ante *-us*. Aiunt siquidem *tenuis* et similia, quae vocalem ante vocalem habent, comparari, quasi id non dictum sit in secunda tantum declinatione, in qua nullum nomen reperies comparabile quod vocalem ante vocalem habeat, nisi in *-us* terminatum, quocirca utrumque in idem revertitur, et ante vocalem et ante *-us*. Sed suam ipsi declarant ignorantiam dum id tollunt quod minime intelligunt; hoc tamen minus malum est cum nihil erroris apportet; id vero nullo modo ferendum quod in patronymicorum abusione additum est et litterarum mutatione, ut *Tytides*; nam cum in depravatis codicibus ita scriptum hoc nomen compererint, credo, ut suum errorem foverent et inscitiam sub parentis mei auctoritate contegerent, in eius regulis id ascripserunt; at si quid litterarum graecarum delibassent *Tydides*, non *Tytides* legi deberi cognovissent. Has igitur regulas non semel tantum percurrere sat est, sed bis terque atque amplius, si oportebit, repetant, ut eas tamquam manuum digitos prompte calleant; nec omnino erit absurdum, etiam cum ad maiora studia transierint ad easdem interdum revocari, donec mentibus sic inhaereant, ut nulla temporis intercapedine, nulla negotiorum varietate aut magnitudine elabi queant.

7. Sed cum earum notitiam iam assecuti erunt, coniungenda erit syllabarum versuumque cognitio, cuius tanta est utilitas, ut aperte dicere auisim neminem posse iure doctum appellari

cui haec ignota fuerit. Quare priscorum diligentiam mecum non admirari et laudare pariter non possum, qui licet ad magna anhelarent, nolebant tamen haec minima se fugere; unde et Augustinus, maxima ecclesiae nostrae columna, librum de musica, ubi etiam pedum rationes exsequitur, conscripsit. Sed omissa illorum auctoritate, sola huius rei utilitas, immo et necessitas, facile declarat quanto studio ea sit percipienda: neque enim recte pronuntiare absque ea scientia quisquam valet, immo, quod maius est, non recto intelligere.[Page 40]

Multa enim in poetis inveniemus diversis quidem casibus, sed eodem fine pronuntiata, quae syllabarum ignarus nullo pacto discernet, quod aliqua sunt diversae penitus significationis sola unius syllabae vel prolixitate vel correptione dignoscenda. Postremo si nihil etiam utilitatis afferret, saltem voluptatis gratia id appetendum esset. Nam sicut pulsante optimo citharoedo magis delectatur qui eius artis cognitionem aliquam attingit quam qui ignorat, ita et in poetarum lectione maiore suavitate afficitur qui versuum rationem habet quam qui ea caret.

8. Nec in carmine tantum ea prodest, sed et in ea quam vocant rhetores numerosam orationem, quae pedibus metricis constat, quam qui ab aliis scriptam intelligere non poterit, multo certe minus eam ipse faciet. Ad eam scientiam non inutilis erit is liber qui sub Alexandri nomine versibus habetur, ex quo etiam praeteritorum et generum nominis et declinationum formulas percipient: nam praeterquam quod omnia sumit a Prisciano, facilius etiam quae carminibus scripta sunt memoriae commendantur conservanturque. Priscianus vero absque doctrina litterarum graecarum, de quibus paulo post loquemur, nostra sententia recte intelligi non potest; sed ubi pedum enumerationem, quam vulgo scansionem nuncupant, ex prima quadam degustatione assecuti fuerint, reliquam deinde syllabarum notitiam ex frequenti poetarum lectione planius ediscent. Quapropter Vergilii carmina memoriae mandent ut ad omnem syllabae quantitatem optimi poetae auctoritate nitantur et exemplo; declamare autem etiam in his oportebit, ut assiduitate pedum numerum etiam solo verborum cantu annotent. Deinde alia versuum genera ex iis perdiscent qui de ea re volumina scripserunt, ut nihil in hac utilissima scientia intactum praetermittant. Illud hoc loco tamquam e specula praemonere velim et, ut ait Satyrus, «credite me vobis

folium recitare Sibyllae», hoc, inquam, clara voce praedico: neminem posse absque litterarum graecarum scientia in hac versuum doctrina fundamenta et, ut ita loquar, medullam penitus introspicere. Scio enim plerosque esse qui eam latinis litteris necessariam esse negent, qui, quoniam ignari ipsi sunt, optarent reliquos inscitiae suae pares esse, ut inter ceteros si non superiores saltem nec inferiores iudicarentur. Mihi vero, dum vivam, nemo hunc errorem (si error est) eripiet, ut eam non modo utilem sed pernecessariam litteris nostris esse non credam.

9. Namque, ut omittam quod eius doctrinae expertes litteras natura longas saepe imprudenter contrahunt, quod neque diphthongos neque aliam recte scribendi normam, id est ojrqografivan, tenent, quantum id est existimandum quod nostrorum vocabulorum maxima pars inde originem traxit; quod multa in scriptoribus reperiuntur, quae nullo modo huius linguae ignarus explanabit! Vergilius descensum ad inferos, quia nequeant impune aves super volare, Avernum dicit a Graeis nominatum, quod ipsi nimirum nescient nisi o[r]ninem avem dici audierint. Ovidius de Cerberi spumis aconita venena nata esse dicit, «quae quia nascuntur dura vivacia caute / agrestes aconita vocant». Quis hoc enucleabit, nisi ajkovnhn caute dici sciat? Scyllam Nisi Megarensium regis filiam in avem conversam dicit, quae a tonso capillo Ciris est nominata, quod nemo sane intelliget nisi keivrw tondeo esse didicerit. Venerem quoque in *Fastis* a spumis maris nominatam asserit, quod nec ipsi intelligent nisi ÆAfrōdivthn ajpo; tw`n ajfrw`n derivatum esse eis declaretur. Hinc etiam magis ignorantiae suae conscientia quam disputationis veritate adduci confitebuntur, si declinationes quasdam tam in oratoribus quam in poetis graecas esse meminerint, quarum nulla apud nos regula tradatur,[Page 44]

nam et «luctificam Allecto», et «nomine Dido saepe vocaturum» et «Mantus filius» in accusandi et generandi casu Vergilius, et rhetorice et dialectice et alia eius generis oratores protulerunt. Multa sunt eiusmodi quae commemorare ad susceptum opus minime pertinet. Nos autem, et veterum doctissimorum exempla, quorum nemo graecae linguae expertus fuit, et Quintiliani auctoritatem, qui nostras a Graecis effluxisse ait, et Ciceronis, qui si Cato in libro *De senectute* eruditius loquatur quam consuevit in suis ipse libris attribuendum esse litteris graecis censet, et Flacci exhortationem sequentes: «vos exemplaria graeca / nocturna versate manu, versate diurna», quia «Graii ingenium, Graii dedit ore rotundo / Musa loqui», quo pacto eam linguam discere possint, pro ingenio nostri iudicio commonstrabimus. Nec sane me fugit Quintilianum ut ab illis sumatur exordium praecipere, quod mihi ea ratione difficilius videtur quia, cum ea nobis lingua naturalis non sit, nisi prius aliquod loquendi principium ex nostra habuerint, in ea perdiscenda pueri nescio quo modo deferuntur. Atque ita mihi persuadeo Quintilianum sic praecepisse, quia suis temporibus latinam linguam omnes haberent, nec in ea tanta elaboratione opus esset. Vidi ego contra nonnullos sub optimo et eius linguae non minus quam romanae doctissimo parente meo postea quam nostrarum fundamenta contigerant, uno anno in graecis tantum profecisse, ut quos numquam viderant libros per se in latinam linguam sic integre fideliterque converterent ut ab omnibus facile probarentur. Eam igitur adulescentes arripiant, nec confuse et inordinate ut apud Graecos traditum solitum erat, sed eas habeant regulas quas parentis nostri praeceptor Manuel Chrysoloras summam collegit, vel quas parens ipse noster compendii amantissimus ex illis contraxit, et inter docendum admoneantur maxime verborum[Page 46]

tempora generali quadam praeceptione derivare, et ea quae apud illos ajnwmala verba sunt tamquam unguis caleant. Sic enim facillime (quod in ea lingua utilissimum est) nomen a verbo et verborum tempora etiam prima fronte discernent; hoc autem et frequenti et diligenti praeceptoris interrogatione consequentur. Paulatim deinde ad scriptores progredientur, et ad eos primo qui in soluta oratione faciliores sunt ne, dum sententiarum pondere laborare coguntur, id quod in principiis maxime desideramus, regularum quas didicerunt confirmationem omittant. Ut igitur libri duriores erunt, ita posteriores eis tradantur. Ad poetarum postea principem Homerum pervenient, qui sicut nostris omnibus fontem quandam prae-buisse videtur, ita ad discendum non difficilis est. Hinc erit illa animi iucunditas ut Vergilii imitationem contemplari queant, qui tamquam in speculo *Aeneida* ad illius opera conformavit adeo ut ferme nihil in Vergilio comperiatur quod idem apud Homerum non sit: nec res tantum, sed et versus plurimos verbum ad verbum inde translato considerabunt, sicut idem quoque et de Theocriti *Bucolicis* et Hesiodi *Georgicis* ab eo factitatum est. Reliquis deinde et heroicis et tragicis et comicis insudabunt. Hoc in primis servent ut in ea lingua vocabulorum varietatem et copiam, quibus ea maxime abundat, non tam memoria quam et scriptis colligant, atque eo promptiora erunt si in ordinem redacta fuerint; ex hac enim scribendi assiduitate menti magis imprimuntur et accentus quorum sermo ille plenus est peritius notantur; aut si forte, ut est memoria labilis, effluxerint, habebunt semper quo tamquam in thesaurum se recipiant. Quapropter id non mediocriter conducet, si exscribere ab initio didicerint et in eo se vehementer exercuerint; quod etiam ad legendi expeditionem non parum conferet. Ubi vero aliquantum progressi fuerint, tunc vel ex graeco in latinum vel ex latino in graecum vertere incipient; quo genere exercitationis proprietatem splendoremque verborum et promptitudinem linguae facillime comparabunt: multa enim quae legentem forte fallerent, transferentem nullo modo fugere possunt. Nolumus tamen dum eam linguam ediscunt nostram penitus omittant, ne desuetudine aliqua illam obliviscantur et deinde[Page 48]

opus sit ad prima iterum elementa recurrere. Sed cum eas quas diximus graecarum litterarum primas regulas habuerint, tunc ad Prisciani ceterorumque grammaticorum cognitionem transcendant, ubi ea quae breviter ab initio cognoverant diffusius accipiant et multa videbunt scriptorum auctoritate licere quae

prius propter brevitatem discendi eis incognita fuerant. Sub idem tempus et in Ciceronis epistulis declamabunt, ex quibus stili tum elegantiam tum facilitatem et sermonis puritatem ac sententiarum gravitatem adipiscentur; quas si memoriae mandaverint mirificos postea fructus in scribendi promptitudine percipient. Nemo tamen existimet in sola illa epistularum declamatione pinguem, et quam Cicero «adipatam» vocat orationem consistere: eam namque multarum et variarum rerum lectio pariet. Flacco teste «scribendi recte sapere est et principium et fons».

10. Quare ut ad alteram grammaticae partem, quam historicen diximus nominari, traducantur iam tempus erit. Et sicut reliquas sub compendio prius regulas didicerunt, ita et eos qui res gestas carptim collegerunt prius perlegent; quo in genere Valerius et Iustinus eis offerentur, quibus et externam et romanam historiam uno ferme aspectu contemplabuntur. A Valerio ea quoque praestabitur utilitas, ut ad omnes virtutum partes, ad egregia tum dicta tum facta exemplis orationem exornent. Reliquos deinde historiographos ordine perlegent, hinc variarum gentium mores instituta leges, hinc varias hominum fortunas, ingeniorum et vitia et virtutes excerpent, quae res maxime in quotidiano sermone facundiam et in variis rebus prudentiae opinionem creabit. Eodem quoque tempore poetas omnes ordine percurrent, in quibus verisimilium figmentorum subtilitatem admirabuntur, et ad quotidianae vitae institutionem sub fabulamentis contextam revocabunt. Ea enim a poetis conficta esse Cicero arbitratur, ut in fictis personis imaginem quotidianae

[Page 50]

vitae nostrae intueremur. Quod etiam beatus Hieronymus de Terentio sensit, qui ad Furiam scribens de viduitate servanda, cum ebrietatem diceret fugiendam comici auctoritatem adducit (*sine Cerere et Libero friget Venus*), «cuius, inquit, finis est humanos mores nosse atque describere». Ab ipsis fluviorum montium urbium nationum et nomina et situm colligent. A Vergilio autem inchoandum esse vel Augustini confirmat auctoritas, qui in hunc modum inquit: «Vergilium propterea parvuli legunt, ut videlicet poeta magnus omniumque praeclarissimus atque optimus a teneris ebibitus annis non facile oblivione possit aboleri». Lucanus forte non absurde post rhetoricam relinquetur, cum eum Quintilianus «oratoribus magis quam poetis» dicat imitandum esse; in quo tamen ea est utilitas, ut profiteri non dubitem, qui eum poetam probe intelligat iam posse in doctorum hominum numero haberi; in deliberativo praesertim genere, ipsius orationes adeo graves, adeo artificiosae sunt, ut nesciam an ab aliquo rhetoricas praeceptiones clarius colligere valeant. Post Vergilium Statii *Thebais* optime subsequetur, nam cum ad illius imitationem composita sit, minor erit in discendo labor. Ex Ovidio *Metamorphoseon* nihil ferme erit quod praeter fabulas eligant, quibus tamen miro studio incumbant credentque eas non (ut quidam putant) poetis tantum congruere; nam et Cicero tum orationes, tum reliqua volumina fabulis plerumque quasi quibusdam gemmis distinxit. Reliquis eius operibus cum per se ipsos legent indulgebunt; illud tamen unum *De Fastis* in promptu habebunt in quo et fabulae quaedam ignotiores et historiae et fastorum ratio satis abunde pertractatur. Utinam totus is liber ad nos pervenisset! nullum enim haberemus, ex quo plenius et mores et sacra veterum

[Page 52]

perspiceremus. Tragediae Senecae cum propter fabulas multum iuvant, tum vero propter sententias et vitae et sermoni quotidiano commodissimas, nam sicut gravissima omnia continent, ita lascivum nihil. Ad sermonis tum puritatem et elegantiam, tum proprietatem, nemo Terentio magis idoneus, adeo ut Terentii verbo frequenter Cicero utatur et libenter se uti Ciceronis Laelius ille testetur. Quare assiduitate legendi memoriae commendandus erit. Huic Iuvenalem satyrorum principem quasi comitem addere non verebor. Nam hos duos qui in promptu habuerit confidat is omnia quae in quotidiano sermone contigerint, non modo ornate proloqui posse, verum etiam ad omnem materiam sententiam aliquam se habiturum. Nec ideo deterreatur quispiam ab illius satyri lectione, quia nonnullis in locis vitia quaedam horrenda aperte nimis redarguat. Primum enim id raro facit, deinde vitiosos magis quam vitiorum increpatores detestari debemus; at, illis omissis quae pauca esse diximus, nihil inveniemus non laudabile, non Christiano homini

maxime congruum. Plautus non ad sales modo qui vitae sunt ornamento, sed ad eloquentiam vehementer proderit, cum ei veteres tantum tribuerint ut affirmarent «Musas, si latine loqui voluissent, plautino sermone fuisse locuturas». Macrobius quoque duos antiquis temporibus eloquentissimos fuisse asserit: et «comicum Plautum et oratorem Tullium». Horatius, praeter optimam poeticæ artis cognitionem, sermonis proprietatem mea sententia suppediet, nec quemque facile inuenies in rerum epithetis Vergilio magis adhaerentem; adde quod ad aliorum satyrorum intellectum multa nobis accommodat. Persius, brevis quidem et obscurus, sed id rerum varietate compensat. Alii non sunt ii quidem inutiles poetae, sed alio tempore magis apte lectitandi. Ceterum quia in poetis multa et de astrologia et de situ orbis sumpta reperiuntur haud erit incommodum tractatum sphaerae pernoscere, Pomponium Mellam,[Page 54]

Iginium, Solinum, et quem nuper in latinum parens noster convertit Strabonem videre. Ad hanc rem etiam perutile erit Ptolemaei picturam habere familiarem, ita ut in omnium locorum descriptione oculos mentis ad eam figuram applicent, et quasi praesentes rem ipsam intueri videantur. Aliter enim orbis descriptio quandam plerumque importat obscuritatem. 11. Perspicuum iam nimirum esse arbitror eum qui in praedictarum rerum studiis eruditus fuerit ad rhetoricam disciplinam posse transcendere; ex qua cum dicendi artem fuerit assecutus, non modo Ciceronis orationes intelliget, verum etiam ex superiorum rerum varietate et copiosam et ornatam cum arte coniunctam habebit eloquentiam. Nihil autem *rhetorica nova* Ciceronis ad id perdiscendum erit accommodatius, nihil utilius, ubi omnes oratoris partes sicuti non prolixè ita perfecte exponuntur; in qua quidem audienda etiam declamare oportebit, nam omnis praeceptio ad exercitationem debet accommodari. Postea non difficile erit alios a Cicerone ad oratoris institutionem compositos libros pernoscere et praecepta in eius orationibus tamquam in speculo intueri. Similiter et Quintiliani in ea re excellentissimi opera percurrere. Verum quoniam omnes Ciceronis libri, qui assidue lectitandi sunt quoniam et utiles et faciles quosque numquam intermittendos iudicamus, morali philosophia referti sunt, quae oratori quoque pernecessaria est, optimum erit ut dialecticorum argumenta et Aristotelis *Ethica* perdiscant; ac deinde Platonis volumina, ex cuius fontibus omnia ille hausisse et ad cuius imitationem se penitus conformasse videtur, adeo ut quosdam etiam dialogos Platonis more et ab eo qui in loquendo primas habet partes et a materia ipsa inscripserit. Ciceronis autem libri, cum omnes excellentissimi sint et utiles, mea sententia et *Liber officiorum* et *Tusculanae quaestiones* principatum obtinent: alter quidem propter praecepta[Page 56]

ad omnem vitae partem idonea, *Tusculanae* vero propter variam multiplicemque rerum cognitionem, praeter praecepta quae ad omnem ferme scribendi materiam largam nobis copiam exhibent. Si qua vero iuris civilis pars adhibebitur, ea tum ad causarum iudicialium tractatum, tum ad plurimorum locorum explanationem vehementer iuvabit. Quae omnia posteaquam adepti fuerint, iam non modo praeceptore non indigebunt, sed ipsi aliis praeceptores erunt idonei. Itaque per se et legere et intelligere poterunt. 12. Ceterum quia quemadmodum a magistris instruendi sint satis abunde, ut puto, demonstravimus, reliquum est ut quo pacto in studendo adolescentes ipsi se gerant aperiamus. Omnium autem praeceptorum illud et primum et saluberrimum esse statuimus, ad quod omnia velut ad quendam, ut Graeci dicerent, σκοπὸν sunt referenda, ut adolescentes ipsi aliquando se doctores fore cogitent; nam qui studiorum suorum testimonium numquam reddendum esse putaverit, multa omittet, plurima leviter et, ut dicitur, in superficie «illotis pedibus» pertransibit; nihil intime et ad medullam usque tentabit introspicere. Qui vero oportere quae didicerit docere existimaverit, nihil intactum aut indiscussum relinquet; omnia quae in quaestionem venire possint sibi ipsi tamquam in dialogo proponet et disputationis veritatem elicere conabitur. Si quem etiam habebunt cui exercitationis causa quae audierint exponant, nihil hoc erit utilius; nam, ut ait Quintilianus, optimum proficiendi genus est docere quae didiceris. Nec sint solum a praeceptore audire contenti, sed qui in auctores commentaria scripserunt et probati

sunt, eos ipsimet perlegant et radicitus, ut aiunt, sententias et vocabulorum vim annotent. Novas ipsi sententias et ad rem accommodatas exquirant. Expositiones quoque in libros scribere vehementer conducet, sed tamen magis si sperabunt eas in lucem aliquando prodituras. Attentiores enim ad ea sumus, ex[Page 58]

quibus laudem venari studemus. Hoc exercitationis genus mirifice acuit ingenium, linguam expolit, scribendi promptitudinem gignit, perfectam rerum notitiam inducit, memoriam confirmat, postremo studiosis quasi quandam expositionum cellam promptuariam et memoriae subsidium praestat.

13. Ubi primum per se studere incipient, operam dabunt ut eos videant qui variis ex rebus composite sunt, quo in genere est Gellius, Macrobius *Saturnalia*, Plinius *Naturalis historiae* quae «non minus varia est quam ipsa natura»; his addimus Augustinum *De civitate Dei*, qui liber historiis et tam ritu veterum quam religione refertus est. Sed omnino illud teneant, ut semper ex iis quae legunt conentur excerpere sibi persuadeant quod Plinius dicitare solebat, «nullum esse librum tam malum ut non in aliqua parte prosit». Haec studendi ratio apud veteres observata fuit adeo ut Plinius maior electorum centum et sexaginta opistographos sororis filio reliquerit, quos aliquando quadringentis milibus nummum Largio Licinio in Hispania vendere potuit. Ea vero potissimum excerpent, quae et memoratu digna et paucis in locis inveniri videbuntur: erit hoc etiam ad orationis tum copiam tum promptitudinem valde idoneum, si inter legendum ex variis libris sententias quae ad eandem materiam pertinent adnotabunt et in unum quendam locum colligent Pythagoreorumque more quicquid excellens interdum legerint vel audierint vesperi commemorabunt. Imprimuntur enim ea confirmatione adeo ut nonnisi difficillime ex memoria aboleri queant; validior etiam illa erit impressio si statuto aliquo mensis die praeceptorum omnium memoria renovabitur. In graecis quam brevissime proficient si, cum primum fundamenta acceperint, non semper magistrum ducem exspectabunt sed ipsi se exercitabunt et magistri loco eos libros sibi desument qui in latinum conversi sunt, et una cum graecis percurrendo ex utrorumque lectione vocabula ipsi per se colligent. Inveniuntur nonnumquam,[Page 60]

praesertim in sacris, libri nonnulli graece latineque exscripti ita ut ne una quidem syllaba interpretationis versiculus aut maior aut minor sit; hi ad hanc rem sic optime conducent, ut quosdam ego cognoverim qui hac ratione ad maximam huius linguae notitiam absque praeceptore ullo pervenerint.

14. Frequentanda erit in primis graecarum litterarum lectio, nam si nostra temporis desuetudine dilabitur, quid de ea cogitandum est, quae nobis naturalis non est? Oportet autem «legentem non introrsum aut sub lingua immurmurare»: saepe enim accidit ut nec se ipsum audiens plurimos versus quasi illinc alienus excurrat. Clara autem lectio, cum ad intelligendum non mediocriter prosit, utpote auribus velut alio extrinsecus sonante mentis attentionem acriter excitantibus, non parum etiam ad stomachi digestionem valere ferunt hi qui naturae ac medicinae secreta tenent; nam, ut etiam Plutarchus tradit, vox, quae spiritus motus est, non in superficie sed penitus intestina corroborat, calorem auget et sanguinem attenuat, universas emundat venas, arterias etiam aperit, supervacaneae humiditatis vim constare figique nullam sinit in his vasis quae cibum assumunt et excocunt. Plinius quoque lectionem graecam et latinam lectitare se refert «clare et intente, non tam vocis causa quam stomachi»; Ariston etiam dicere solebat «neque balnei neque orationis non purgantis ullam esse utilitatem». Cavendum tamen ne clamorosa vox et violenta fiat; intentiones namque nimiae dirumpunt et raucitatem frequenter inducunt. In magno plerumque numero legere si consueverint, ea res pariet in pronuntiandis orationibus audaciam, qua cum multos nostris temporibus carere videamus, tum vero Isocrates, quem «eloquentiae parentem» appellare Cicero non dubitavit, adeo eius experts fuisse dicitur, ut nec unam quidem orationem memoriter[Page 62]

pronuntiare valuerit. Inter legendum non prius subsistere oportebit quam ad sententiam terminatam, quam clausulam vocant, pervenerint, quae si primo – ut dicitur – congressu minime fuerit intellecta, revocandus erit gradus et attentiore mentis acie bis terque relegenda, donec obaudiens sensus diligentia

pulsantis excitetur. Nec faciant quod superioribus annis quendam in legendis *De oratore* Ciceronis libris facere audivimus, qui verba tantum et dictionis ornatum admirabatur, sensa vero penitus omittebat; sed imitandi sunt qui vehementer sitiunt: ii enim non prius toreumata et poculorum insignia contemplantur quam ardorem sitis restinxerint, ita studiosi primum sententias moresque decerpant, deinde ad dictionis florem convertantur. Quaedam sunt animalia quae florem depascuntur, ut apes; quaedam ramos, ut caprae; quaedam radices, ut sues; studiosus vero eorum sibi exempla proponat, quae omnibus his vescuntur. In historia quid egregie, quid nove dictum sit; in verborum compositione pure et eleganter scripta; in sentiis quid fortiter, quid prudenter, quid iuste, quid modeste annotet.

15. De poetica quod de polypodis capite traditur idem ipse sentiat. Aiunt siquidem, qui de secretiore rerum natura tractant, sumptum caput illud in cibis plurimum suavitatis afferre, ceterum gravibus insomniis turbulentissimisque phantasiis sensum afficere. Ita poetica hominum animos maxima quidem dulcedine alit et pabulo, non minus vero turbarum et agitationis ingerit. Quocirca inter legendum animi frenis uti opus est, nec ita fabularum studio afferri, ut figmenta illa sic nuda capiantur, sed unumquodque quid utilitatis sub commento afferat rimandum est; et id Catonis, quod et de Cyro scribit Xenophon, observandum: siquidem, cum puellus esset, praeceptoris imperia obibat quidem, sed cur imperarentur causam sibi declarari petebat. Quae apud poetas impie, crudeliter, iniuste, turpiter dicuntur, non ea vitio danda sunt sed artis excellentia consideranda,[Page 64]

quae singulis personis decorum suum reddit. Sic enim et aliis in rebus accidere videmus, ut a quibus re ipsa apparentibus animus abhorret, proprie tamen efficta libenter vel contemblemur vel audiamus. Nam et Chrysoloram nostrum sic dicere solitum accepimus, scorpiones et serpentes quos fugimus, si depictos vera quadam imitatione viderimus, magnopere delectamur; suis grunitum, serrae stridorem, venti sibilum, maris strepitum cum audimus turbamur animo; quae tamen si quis ficta voce imitetur, voluptate quadam afficimur. Quae vero in scriptoribus vitae accommodata et ad virtutis rationem pertinentia reperiuntur, ea memoriae commendanda sunt.

16. Ordo potissimum in studendo adhibendus erit, ne varios libros confuse legant, sed singulis lectionibus dispertitas horas haberi oportet: quae una res plurimum prodest et ad librorum varietatem et ad rerum consummationem. Quod abunde et facile percipi potest, si quis statuta hora exiguum quid vel legat vel exscribat et id absque ulla intermissione faciat; intelliget enim paucis diebus multum se profecisse. Hoc illud sonat Hesiodi a parente nostro sic interpretatum: «Parvula si tentes superadiecisse pusillis idque frequens peragas, grandis cumulatur acervus». Perturbatione vero, et ea quam Graeci ajtaxivan nominant, nihil non modo inutilius verum etiam deformius esse ex aliis quoque rebus intelligi licet. Chorus ex multorum varietate conficitur, qui si prout cuiusque animus tulerit canere voluerint, inconcinna quaedam emergit et auribus iniucunda clamantium confusio; ceterum cum suo quisque loco et tempore, ut institutum est, ita vocem emittit, ex multiplici sono grata quaedam et consona exsultat harmonia. In exercitu quoque idem cernere licet, ubi si passim et neglecto ordine palantes evagentur milites et facilem hostibus victoriam praebent et turpe quoddam oculis spectaculum offerunt, cum equites pedites currus calones sarcinae promiscue feruntur et se invicem si conserenda sit manus impediunt. Contra bene instructus exercitus et amicis[Page 66]

spem et hostibus terrorem incutit, cum equites scutatos sagittarios funditores suo quemque loco procedentes ordinemque servantes intuentur. Quare non minus in litterarii studii ratione quam ceteris in rebus utilem hunc esse arbitremur ordinem. Nam nisi divisa fuerint lectionibus tempora, distrahitur multitudo librorum animus efficiturque ut, dum eodem tempore multa simul nobis videnda cogitatione complectimur, nullam in partem liberum sortiamur et intentum mentis habitum. Adde quod cum vesperi memoria sint repetenda quae die cognovimus, difficile id assequi possumus ut, quid apud quemque legerimus unum sub aspectum nulla cum dubitatione aut errore colligamus, nisi distincte omnia sese nobis offerant.

17. Unum illud adiciemus nostri quidem ordinis sed non utilitatis

extremum, quod tamen non magis praeceptum quam adhortationem existimari volumus, ut nihil hoc «litterato otio dulcius» esse arbitrentur quod, ut ait Cicero, «adoleſcentiam agit, ſenectutem oblectat, ſecundas res ornat, adverſis perſugium ac ſolacium praeſebet, delectat domi, non impedit foris» ac propterea nullum tempus ab his ſtudiis vacuum praeſterlabi ſinant; hoc ſit eis negotium, hic labor, haec quies; in his vigiliae, in his etiam ſomnus reponatur. Quid enim honeſtius facere poſſunt quam cum otium appetunt, in eo otio verſari, quod ab omnibus ſemper et utiliſſimum et iucundiſſimum eſt iudicatum? Quantum reliqui temporis aleae, quantum pilae, quantum ſpectaculis tribuunt, tantum ipſi ad haec recolenda ſtudia ſumant ubi non deerit quod videant, quod ſpectent, quod admirentur, cui applaudant; ubi dum erunt, nihil audient quod audire, nihil dicent quod dixiſſe poeniteat; nemo apud eos quemquam ſiniſtris ſermonibus carpet; neminem ipſi reprehendent; nulla ſpe rerum inanium, nullo timore ſollicitabuntur, nullis rumoribus inquietabuntur; ſecum tantum et cum libellis atque etiam quod ceteris negatum eſt cum mortuis loquentur. Haec eſt illa vita quam regiam ſinceramque Plinius iunior appellabat;[Page 68]

hoc eſt illud otium quod dulce honeſtumque ac paene omni negotio pulchrius idem palam affirmabat; hoc eſt quod ſatius eſſe Atilius erudiſſime ſimul et facetiſſime dicere ſolebat, otioſum eſſe quam nihil agere. Hac ratione Plinius ille maior omne tempus perire arbitrabatur quod ſtudiis non impenderetur; cuius adeo parvus exiſtiſſe dicitur, ut Plinium minorem ſororis ſuae filium ſaepe corripuiſſe dicatur, quod ambularet, quia ſcilicet tempus illud non perdere poterat; quin immo cum de maiorum more legi faceret et lector, quem Graeci ἀγνωνύσθην nominant, «quaedam perperam pronuntiaviſſet, quidam ex amicis revocavit et repeti coegit», cui Plinius: «nempe intellexeras?» inquit; et «cum ille annuiſſet: 'cur ergo revocabas? decem amplius verſus hac tua interpellatione perdidimus'». Cato quoque, qui poſt mortem Uticensis eſt cognominatus, ne tempus perderet interim dum Senatus cogeretur, in curiae veſtibulo aliquid lectiſſe fertur. Accuſaſſe naturam Theophrastus dicitur, quod cornicibus et cerviſ longam vitam praetiſſet quibus diu vivere nihil neceſſe erat, hominibus vero brevem, qui multis ſaeculis ad infinitam rerum cognitionem indigebant. Quod an philoſopho gravi deplorare conveniat ipſe viderit; nos tamen hoc teneamus, non oportere inane hoc tempus effluere quod ille breve nimis eſſe conquerebatur. Habent ceteri animantes inſitum aliquid natura, ut equi currere, aves volare, hominibus vero ſciendi cupiditas tradita eſt, unde et humanitatis ſtudia ſunt nuncupata; quam enim Graeci ???????? vocant et nos eruditionem institutionemque in bonas artes dicimus, eam humanitatem quoque veteres nominarunt, quia ſcientiae cura ex univerſis animantibus uni homini data ſit; hoc autem ſtudiorum genus variam magis quam reliqua ſcientiam complectitur. Ceterum, ut ſpero, qui iam per ſe ipſo ſcripta intelligent tantam ſtudenti voluptatem eſſe percipient, ut noſtris adhortationibus minime egeant; quare iam ſcribendi modus hic ſit.[Page 70]

18. Habes, mi Maffee, a praeceptore munus quod longe plus utilitatis in reſeſſu habere cognoscetur, quam in fronte promittere videatur. Hic eſt enim et docendi ordo et ſtudenti praecepta, quibus non minus doctiſſimus quam optimus parens meus et praeſciendi iure avus tuus diſcipulos inſtruebat, quae vel hac una ratione optima eſſe putabis, quod ex eius ludo velut ex equo Troiano meri litterarum principes prodierunt. Nam et maxima illorum pars qui cum reliquis orbis partes tum vero hanc noſtram Italiam ſtudiis excoluerunt, ab eius fontibus emanarunt. Igitur ſi toto, ut aiunt, pectore in haec praecepta exſequenda incumbes, tantum inde fructum aſſequeris ut, quam de te ſpem nobis tua indoles pollicetur et quam tui ingenii opinionem concitaſti, non modo ſuſtinere et tueri, verum etiam ſuperare poſſis. Veronae XV Kal. Martii MCDLIX.

Quam iuvenis ſapit iſte ſenem probat ecce libellus.